KÖNIGLICHES GYMNASIUM ZU WONGROWITZ.

ABHANDLUNG ZUM VI. JAHRESBERICHT.

SCHULJAHR 1877—1878.

QUAESTIONUM STATIANARUM

PARTICULA I.

SCRIPSIT

LUDOVICUS POLSTER.

DRUCK VON B. G. TEUBNER IN LEIPZIG.

1878.

1878. Progr. No. 133.

Silvas Statii, in quibus viri docti recentioris aetatis et propter elegantiam generis dicendi et quod aetatis Domitianae mores cultumque perbene illustrant operam collocaverunt summam, difficillimas esse ad emendandum, qui et quae quasi vulnera textus qui vocatur, mala fortuna inflixerit, noverunt, et proprietatem indolemque carminum Statianorum ipsam perceptam habent.

Iure igitur Marklandus: 'Hinc enim obturbabat', inquit, 'Latinitas, falsa vel suspecta; illinc, sensus nullus, crebrae absurditates, contradictiones non paucae, mos et compositio minime poetica, denique οὐδὲν ὑγιές.' Codices manuscripti quibus Statii Silvae continentur, saeculi XV. sunt omnesque manarunt ab archetypo illo, quem Poggius in monasterio Sancti Galli invenit.

Testis est subscriptio in Ascanii codice Florentino haec: 'Hoc fragmentum Q. asconii pediani repertum est in monasterio sancti galli prope constantiam XX milibus passuum a Poggio Florentino, una cum parte C. Valerii Flacci balbi setini argonauticon et M. manilii astronomicon et statii silvarum libri, quod sumpsimus ex exemplari poggii sua manu transscripto.' Omnes nostros codices editionesque antiquiores Poggii exemplari quasi fundamento niti inde quoque probatur maxime, quod non modo mirum in modum codices nostri scripturae mendis inter se consentiunt, sed etiam, id quod maius est, iisdem laborant lacunis. Archetypus autem ille Sangallensis fortunae iniuria periit et quae eius lectiones servatae sunt, eae debentur Politiani collationi, quam cum ed. pr. instituit. Tali apparatus condicione vel Gronovii, Gevartii, Barthii, Domitii, aliorum laboribus non raro successus defuisse mirum esse non potest.

Marklando demum, qui et admirabili ingenii acumine et sensus cuiusdam poetici elegantia illustrissimus erat, contigit ut in viscera poetae ut ita dicam penetraret et maculas corruptelarum quamvis inveteratas elueret. Nihilo secius permagnum locorum numerum restare qui medicina egeant non leni, nemo mirabitur. Editionibus Duebneri, Weberi, Queckii (Teubn. 1854) Silvarum textum non saepe sanari vix est quod commemorem. Baehrensii autem editionem Lipsiensem praeter ceteras novis artis criticae auxiliis adhibitis, collationem dico illam cod. Sangallensis cum ed. pr. ab Angelo Politiano factam — excellere quamquam libere profiteor, tamen cum emendandi ratio illius viri docti licentior sit et saepius quam par est temeritatis vitio laboret, tantum abest ut huius viri docti opera Silvarum integritas restituta sit ut etiam comminuta sit atque infracta. Neque enim tantum ausus est violentissimas coniecturas in textum qui dicitur recipere, sed etiam locos incorruptos et salvos suis coniecturis contaminare. Quibus praemissis in animo mihi est de aliquot locis disputare quorum corruptela ne hodie quidem sublata est. Ut proficiscar ab l. I c. 2, v. 64, codices haec exhibent:

'At quondam lacrimis et supplice dextra
Et votis precibusque virum concede moveri,
O genetrix!'

His verbis Amor a Venere petit, ut iubeatur animum Violantillae, cuius summo amore Stella poeta ardebat, tandem mollire et flectere. Qui sententiarum nexus si statuitur, eumque statuendum esse liquet, lectionem v. 68 'virum' genuinam esse non posse in promptu est. Neque

enim Stella poeta, quippe qui amore incensus sit, molliendus est, sed Violantilla. Ipse Amor paulo infra dicit Stellae amorem amorem Leandri superare. Cf. v. 86 seqq. Cum Violantilla flectenda sit, scribendum est:

'At quondam lacrimis et supplice dextra
Et votis precibusque nurum concede moveri,
O genetrix!'

Nurus vox etiam de adolescentibus mulieribus, Violantilla enim nupta fuerat, usurpatur a Statio in Silv. II 2, 145, ab Ovidio Met. 2, 365., Her. 16, 194 et saepius.

Non difficilius sanari possunt ea quae leguntur in l. II c. 1, v. 42, ubi poeta deflens mortem pueri delicati haec verba tristia edit:

'O ubi purpureo suffusus sanguine candor
Sidereique orbes radiataque lumina caelo
Et castigatae collecta modestia frontis?'

Recte iam Marklandus adnotavit: 'Quomodo lumina radientur caelo, non intellego. An voluit radiataque lumina luce vel sole, an denique radiataque lumina Phoebo?' Lectio 'caelo' sensui repugnat neque tamen Marklandi coniectura 'Phoebo' emendata est. Legendum statuo:

'O ubi purpureo suffusus sanguine candor
Sidereique orbes radiataque lumina ocello?'

Sic fulgens splendor ocelli aptissime describitur. Corruptelam 'lumina caelo' ex 'lumina ocello' facillime existere potuisse manifestum est. Versu 65 eiusdem carminis poeta sic pergit:

'Obvius intranti rursus quis in ora manusque
Prosiliet brevibusque humeros circumdabit ulnis?
Muta domus, fateor, desolatique penates,
Et situs in thalamis et maesta silentia mensis?'

Non dubito quin vox 'fateor' corrupta sit. Magnificentissimis verbis et spiritu vere poetico Statius hoc loco lamentationibus et querellis indulget ut vox 'fateor' nimis videatur frigere. Equidem suspicor in voce 'fateor' nomen inesse eius, ad quem haec epistola data est, atque propono:

'Obvius intranti rursus quis in ora manusque
Prosiliet brevibusque humeros circumdabit ulnis?
Muta domus, Melior, desolatique penates
Et situs in thalamis et maesta silentia mensis!'

Nomina propria plerumque in libris manuscriptis Statii varie mutari et per se facile intellegitur et probari potest l. V. 3, 209, ubi restituendum esse nomen proprium evidentissimum est. 'Pariter', quod Marklandus et 'stat ero', quod Baehrensius proposuit probari non posse apertum est. Praegnanti ut ita dicam orationi huius loci et ellipticae repugnare verba 'stat ero' quilibet facile sentiet. Versu 96 eiusdem carminis poeta sic pergit ut neget consanguinitate sola amorem gigni:

'Quid referam altricum victas pietate parentes?
Quid te post cineres deceptaque funera matris
Tutius Inoo reptantem pectore, Bacche?
Iam secura patris tristis regnabat in undis
Ilia, portantem lassabat Romulus Accam?

Lectionem 'tristis', quam exhibet cod. Vrat. mutaverunt editores in 'Tuscis'; atque ideo pro lectione 'patris' omnium codicum auctoritate munita 'parens' scripserunt. Nos lectionem 'patris' cum retineamus vitium in una voce 'tristis' inesse putamus et suspicamur mentionem fieri Tiberis, qui saepe pater appellatur. Cf. Verg. Aen. X 421: 'Da nunc, Thybri, pater ... Claudian. in Prob. et Olybr. Cons. v. 225: '(Tiberis) palla graves humeros velat, quam neverat uxor Ilia percurrens vitreas sub gurgite telas.'

Crux quae dicitur interpretum fuit locus qui legitur in Silv. II 2, 93.

Magnificentiam villae Surrentinae Pollii Felicis describens poeta etiam varia marmora illius villae laudat his verbis:

'Hic et Amyclaei caesum de monte Lycurgi
Quod viret et molles imitatur rupibus herbas,
Hic Nomadum lucent flaventia saxa Thasosque
Et Chios et gaudens fluctus spectare Carystos.'

In versu 93 verbum 'spectare' depravatum esse contendere non dubito. Nam haec verba nihil aliud significare possunt nisi 'marmor Carystium in mare prospicere gaudens'. Tam ineptam et absurdam sententiam a Statio proferri potuisse — credat Iudaeus Apella! Quod Salmasius proposuit 'aequare' vel 'fluctu certare' quamquam non abhorret a sensu, tamen nimis recedit a lectione tradita. Statius qui eandem amat verborum conformationem, de hac re semper fere verbo 'imitari' utitur. Cf. v. 91. 'Quod viret et molles imitatur rupibus herbas.'

Etiam hoc, de quo agimus loco, notio imitandi desideratur eaque exprimitur optime si legimus 'spirare'. Recte interpretatur Wagnerus ad Verg. Georg. 3, 34 spirandi notionem his verbis: 'Verum vultum felicissime exprimere.' Quare verbum 'spirandi' idem fere significat quod verbum 'imitandi'.

De usu huius imaginis conferantur quae leguntur Silv. V 1, 230. 'Tantas venerabile marmor spirat opes.' Sil. 15, 411 'fratris facta spirans' i. e. imitans. 3, 740. Silv. 3, 3, 202. Ovid. Met. IX 340. Hor. ep. II 1, 207. Mart. I 44. Manil. I 206.

II 6, 17 sqq: Gemit inter bella peremptum
Parthus equum, fidosque canes flevere Molossi,
Et volucres habuere rogum, cervusque Maronem.

Qui sensus insit in verbis 'cervusque Maronem' explicari vix potest. Legendum est 'cervusque Myronem'. Dicit poeta illum Myronem plasten Eleutheris natum, qui bestias maxime fingebat. Praeclarissima fuit eius bucula lactens. Cf. Auson. epigr. 58:

'Bucula sum caelo genitoris ficta Myronis.'

Ovid. ex Ponto IV 1:

'Vindicat at Calamis laudem, quos fecit, equorum
Ut similis verae vacca Myronis opus.'

Cf. Cic. acc. 4, 60, 135. Myronem etiam cervum morientem fingere potuisse nemo negabit. Canachum quidem cervum finxisse Plin. n. h. 34, 75 memoriae tradidit. Accedit quod Myronis opera Romae creberrima fuerunt et a Statio praeter cetera commemorantur. Sententia igitur loci, de quo agimus, haec est: Quod Ursus mortem servi luget, non est vituperandum. Etiam bestiae mortuae defletae, aves funere elatae sunt (cf. Cat. carm. de passere, Silv. II 4. 5.) et clarissimum monumentum est cervus ille moriens a Myrone caelatus.

Ex unius codicis Sangallensis vestigiis restitui potest vera lectio in Silv. III 2, 30. Poeta amicum Maecium Celerem navigantem optimis votis prosequens atque Nereidum chorum rogans, ut navem tueantur, sic pergit:

Pars demittat aquis curvae moderamina puppis,
Sint quibus exploret rupes gravis arte molybdus.

Lectio 'rupes' 'coniecturae Domitii debetur, cod. Sang. exhibet 'pumos', reliqui codd. 'primos'. Apertum est emendationem verisimilem nisi ex vestigiis cod. Sang. restitui non posse. Facillima emendatione nobis videmur locum sanare posse pro 'pumos' scribentes 'spumas'. Copiosius hanc lectionem probare supervacaneum est. Ceterum cf. eiusdem c. v. 74. 'Nec spumare Thetis nec spargere nubila fluctus Gaudebant.' Deinde poeta postquam etiam Isidem imploravit, ut amicum per Aegyptum iter facientem comitaretur et eum de moribus et condicione illius terrae edoceret, v. 120 pergit sic:

Usque et in Assyrias sedes mandataque castra
Prosequere et Marti iuvenem, dea, trade Latino.
Nec novus hospes erit: puer his sudavit in arvis
Notus adhuc tantum maioris munere clavi.

Lectio munere in v. 124 auctoritate codicum omnino caret. Nam et ceteri codices et cod. Sang. exhibent lectionem 'numine', quae lectio sine dubio mutanda est in 'lumine'. Cf. Silv. IV 5, 42 'Contentus artae lumine purpurae.'

Tertia huius libri ecloga consolatur poeta Claudium Etruscum de morte patris. His verbis incipit:

'Summa deum, Pietas, cuius gratissima caelo
Raro profanatas inspectant numina terras . . . . .
Mitibus exequiis ades et lugentis Etrusci
Cerne pios fletus laudataque lumina terge.'

Lectione 'laudataque' sententiam omnino turbari liquet. Neque enim ulla ratione cohaeret cum verbo finito 'terge' neque exprimit maestitiam luctumque poetae. Verbo 'terge' indicatur opus esse notione flendi, lacrimas profundendi. Non sine probabilitate speramus nos proponere posse emendationem 'undataque', ut scribamus:

Cerne pios fletus undataque lumina terge.

Huius verbi vis optime respondet verbo 'terge' et orationi Statianae aptissima est. Cum enim hoc verbum apud alios poetas intransitiva notione usurpetur, Statius transitivam adhibuit cf. Achill. I 87. Claudian. in. Rufin. 2, 67. In eiusdem carminis v. 179 Baehrensius quam primus corruptelam patefecit meo quidem iudicio non bene sustulit. Statius dolorem quo Etruscus mortuo patre afficitur, comparat cum eo dolore, in quo est Theseus post reditum in patriam, postquam de Aegei patris morte certior factus est.

Haud aliter gemuit periuria Theseus
Litora, qui falsis deceperat Aegea velis.

Rectissima sunt quae Baehrensius ad hunc locum adnotavit, cuius extrema verba sunt: 'Quid enim? num Theseus redux, cum Aegea videret interfectum, potius suam in Ariadnen perfidiam (quid enim virgini desertae cum sene in mare se praecipitanti?) quam mentem immemorem et promissi patri olim dati oblitam incusavit detestatusque est?'

Baehrensius pro 'periuria' proposuit 'per patria'. Equidem puto coniecturam 'per Sunia' praeferendam esse et magis commendari ratione quae vocatur palaeographica et totius loci sententia. Cf. Theb. 12, 624. Scilicet eo ipso loco poeta facit Theseum de patris morte querentem, ubi Aegeus mortuus est.

In l. III c. 4, v. 75, ubi de castratione agitur, haec in codd. leguntur:

Nunc frangere sexum
Atque hominem mutare nefas; gavisaque solos
Quos genuit natura videt, nec lege sinistra
Ferre timent famulae natorum pondera matres.

Nimis violenter interpretes corruptelam 'solos', quae nullo pacto explicari potest, mutaverunt in 'totos'. Quae coniectura quamquam loci sententiae aptissima est, equidem praeferam 'soldos', cum haec vox propius accedat ad codicum scripturam. Contracta forma 'soldos', cum pro propria forma 'solidos' non admodum saepe usu venerit, a scriptoribus facile cum 'solos' confundi potuit. Reperitur etiam apud Hor. sat. 1, 2, 113. 2, 5, 65 et optime exprimit notionem adiectivi 'totus, integer' quae hoc loco desideratur.

In l. IV 3, 139 poeta Sibyllam Domitiano, viae Domitianae conditori, res futuras his verbis vaticinantem facit:

'Salve, dux hominum et parens deorum,
Provisum mihi cognitumque numen.
Nec iam putribus evoluta chartis
Sollemni prece quindecim virorum
Audi quam seriem merentis aevi
Pronectant tibi candidae sorores.'

Alii aliter conati sunt falsam lectionem 'merentis' emendare, Heinsius proposuit 'virentis' vel 'rotantis', Avantius 'morantis', Baehrensius 'sequentis'. Si sententiam loci respicias, Baehrensii coniectura apta videtur, cum notio temporis futuri necessaria sit. Sed quomodo ex 'sequentis' lectio 'merentis' orta sit, demonstrare vix poterit. Legendum videtur esse:

Audi quam seriem imminentis aevi
Pronectant tibi candidae sorores.

Propter repetitionem eiusdem syllabae verisimillimum est unam intercidisse.

Quarta ecloga continet epistolam ad Claudium Marcellum, cuius extrema verba sunt haec:

Iamque vale et penitus noti tibi vatis amorem
Corde exire veta, nec enim tirintius almae
Pectus amicitiae.

Corruptela 'tirintius' facillime emendari potest 'o' litera addita, si legimus 'tibi notius', ut iterum ample et graviter sententia versus antecedentis repetatur. Sensus enim existit hic: Vale et grata memoria include amorem vatis penitus tibi noti; neque enim mehercle ullum pectus notiorem amicitiam tecum contraxit. In eadem consuetudine amicitiae si permanseris in aeterna laude versaberis, quantam nec Theseus nec Achilles adepti sunt. Carmine sexto libri quarti statua Herculis epitrapezii, quae erat Nonii Vindicis celebratur. Ac primum quidem opera arte facta, quibus abundabat Nonius Vindex perstringuntur. Sequuntur versus hi:

Haec inter castae genius tutelaque mensae
Amphitryoniades multo mea cepit amore
Pectora nec longo satiavit lumina visu;
Tantus honos operi finesque inclusa per artus
Maiestas!

Lectionem 'finesque' nullo modo ferri posse quivis concedet. Diligentius enim locum intuenti apparebit cum vox 'artus', quae vox hoc loco plane est necessaria, cum ceterorum omnium codd., tum Sangall. auctoritate firmetur nisi in voce 'finesque' corruptelam latere non posse. Equidem coniciam 'iuvenesque'. Legendum igitur duco:

Tantus honos operi iuvenesque inclusa per artus
Maiestas!

Qua coniectura recepta oppositio oritur egregia. Quae enim una senectuti tribuitur maiestas, etenim 'infusa senectae maiestas' (Val. Flacc. IV 552), eadem cernebatur in artubus Herculis iuvenis.

Palaeographicae autem verisimilitudinis si quaeris rationes, cum post vocem 'operi' litera 'i' facillime intercidere potuerit, haud parvas esse existimo.

IV 9, 23 sqq: Usque adeone defuerunt
Caesis pillea sicca de lacernis
Vel mantelia luridaeve mappae? . . .

Scripsit hoc carmine Statius hendecasyllabos iocosos ad Plotium Grypum. Is maioris gradus iuvenis (cf. Silv. praef. IV), praefectus annonae et stationum sub imperio Domitiani cum a Statio pretioso libro esset donatus, debitam gratiam reddidit ita ut eidem remiserit, 'Bruti senis oscitationes', quales aut olivis madent aut tus Niliacum et piper servant aut olent Byzantiacos lacertos. V. 24 lectiones 'caesis' et 'sicca' corruptas esse nemo est quin facile perspiciat. Atque Heinsius quidem in corruptela 'caesis' 'scissis' lectionem latere suspicatus est; quae coniectura palaeographiae si spectas commendationem· parum videtur habere probabilitatis. In corruptela 'caesis'. latet sine dubio 'cassis'. Similia, ut 'cassa glans', 'cassum granum' etc. addidisse satis habeo. Cf. Cic. Tusc. IV 41, 119. Adice quod hac coniectura inanitati doni iocularis non flocci faciendi optime est consultum. Quae eadem iocandi notio in corruptela 'sicca' cum necessario desideretur, coniecturam Heinsii 'suta' proponentis reprobandam duxerim. Haud scio an legendum sit 'secta'. Etenim iocosissime fingit Statius centonem lacernae nullius pretii sibi videri praestantiorem illo Bruti libro empto, plus minus asse Caiano, de capsa miseri libellionis: Pergit poeta in enumeranda abiectarum rerum serie quaerere iocose v. 30:

'Nec ova tantum
Nec lenes halicae nec asperum far?'

De vocabulo 'tantum' quod a sermone huius loci iocoso absonum est dubitant viri docti. Turnebus 'tota' proposuit, Baehrensius 'saltim'. Nobis coniectura 'tandem' probabilitatis certe aliquid habere videtur, quam quidem commendamus, dum meliora ab aliis edoceamur. Baehrensii coniectura nimis a palaeographiae legibus abhorret. Venimus iam ad emendandos libri V. locos nonnullos, tanta medelae adhibendae difficultate insignes, ut de plurimis quidem emendationibus hodie quoque sub iudice lis sit. Quod enim de ceteris Statii libris valet, ut plurimis codd. erroribus inquinati sint, idem valet de libro quinto multo magis. Primum carmen continet epicedium ad uxorem Priscillam. Poetae animus afflictus atque dolore ardens quem ei acerbissimum inusserat coniugis mors immaturo

fato ereptae, erigitur ab ipsa iamiam moritura consolatione hac: Mihi priori vitae cursus secundum rerum institutionem est prius conficiendus, quia prior te sum nata priusque in vitam introii. Tu aetate florens et 'limite coepto aetatis' procedens vitam age longam poesis studiis deditam. At poeta coniugis consolatione, cum immatura morte occubuisset haudquaquam erigitur, ingenti dolore anctus, distentus, divulsus deorum incusat crudelitatem erratque amens per deserta loca ac solitudines. Sequuntur v. 205 seqq:

Ille etiam maestae rupisset tempora vitae,
Ne tu tartareum chaos incomitata subires,
Sed prohibet mens fida duci servandaque sacris
Imperiis et maior amor.

Pro 'maestae' quae est coniectura Baehrensii codd. exhibent lectiones summopere miras, Sangall., ut videtur, 'cectae'. Frustra in hoc loco emendando viri docti hucusque desudarunt.

Nobis in vestigiis cod. Sangallensis, cuius summa est auctoritas, insistendum videtur, et ex literis eiusdem quamvis depravatis genuina lectio eruenda. Ac si nostrum locum comparaveris cum eo qui v. 186 legitur, ubi uxor dolorem coniugis delenitura haec verba profert:

'Tu limite coepto
Tende libens sacrumque latus geniumque potentem
Inrequietus ama'!

cum probabilitate vel summa in eam sententiam certe abibis hoc loco restituendum esse:

'Ille etiam coeptae rupisset tempora vitae etqs.'

Neque enim possumus dubitare quin hi versus certissime pertineant ad eos quos modo citavi. Ne sim longus in re aperta transeo ad carmen tertium eiusdem libri, cuius argumentum simillimum est. Continet enim epicedion Statii in patrem. Imprecatur Statius patrem, qui ipse quoque poemata condiderit, ut sibi patris funera deflenti succurrat dignoque verborum ornatu carminis praestantiam augeat. Qui versus leguntur vulgo sic:

V. 19 seqq: At tu seu membris emissus in ardua tendens
Fulgentisque plagas rerumque elementa recenses,
Quis deus, unde ignes, quae ducat semita solem,
Quae minuat Phoeben quaeque integrare latentem
Causa queat notique modos extendis Arati . . . . .
Da vocem magnam, pater, ingeniumque dolori.

Lectionis 'notique' fidem hoc loco summopere in dubium venire primo obtutu nemo non videt. Neque enim errore illorum ducimur, qui eo usque perversitatis processerunt, ut in Statii silvis castigandis arte critica artissimis legibus adstricta indolis Statianae altius evolantis ratione plane habita nulla vel in corruptelis mendisque luce clarioribus codicibus plus quam merentur auctoritatis tribuerent poetaeque elegantissimo vel summas futilitates imputare auderent. Fuit Statius generis dicendi artifex is, qui de re omni, quaecumque erat proposita, ornatissime copiosissimeque posset disserere. Atque hercle, cuiuscunque studia circa Statii opera diligentius occupantur, is praefracte negabit Statii indolem unquam ad vulgare quotidiani genus sermonis delabi. Quae editionis princ. est lectio 'doctique', cum codd. in corruptela 'notique' conspirent omnes ad unum, quis est, quin eam a librario nescio quo fictam esse neget? Satis est argumenti. Vix est quod dubites restituere 'nostrique modos extendis Arati'. Intellegendus est aut

Germanicus Caesar, quem quidem constat Aratea condidisse, aut, quod verisimilius est, ipse Domitianus. Eum enim admodum iuvenem in studia poetica ita incubuisse constat, ut et Quinctilianus cf. XI 91 et Silius laudes *αὐτῷ τῷ θυλάκῳ* in eum congesserint. Uno verbo moneo illis temporibus huic generi poesis imprimis Arateorum et similium tantam plurimos operam impendisse, ut etiam per scholas longe lateque pateret et tractaretur. Quae cum ita sint, verisimillimum est ipsum Domitianum, qui iuvenis poemata conderet diversa multumque laudata, Aratea composuisse. De ceteris argumentis nunc non lubet quaerere, quae quidem *ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ* omitto. Ceterum cf., si tanti est, Bernhardy hist. litt. R. p. 225, qui gravia huius quaestionis in censum vocavit argumenta. Utut est aut Domitianum aut Caesarem Germanicum hoc versu Statium significasse pro explorato habeo, praesertim cum Statius poeta imprimis aulicus sexcenties imperatori deorum honores tribuerit magnamque adulatione apud Domitianum gratiam inierit. In eiusdem carminis v. 63 poeta dolore exanimatus profitetur in Orco fore ut possit poesis eloquentia flectere Cerberum patremque ab inferis excitare. Deinde pergit:

Atque ibi me moresque tuos et facta canentem
Fors et magniloquo non posthabuisset Homero,
Tenderet et torvo pietas aequare Maroni.

Lectio 'torvo' cum Maroni omnino non conveniat, corruptelae notam effugere non potest. Marklandum autem coniectura 'docto' depravato loco salutem attulisse omnino negaverim. Quique eandem in textum qui vocatur receperunt interpretes, ii quanam critica lege corruptelae originem explicare possint certior factus esse velim. Coniectura 'docto' stare omnino nequit. Medelam nisi ex ipsis visceribus causae quaesiveris et ex sententiae cardine, non invenies. Sensus flagitatur hic: Pietas erga patrem efficit, ut et, qui verborum et sententiarum ponderibus utebatur, grandiloquum Homerum et Maronem politius limatum assequar. Non est cur neges Statium scripsisse:

Atque ibi me moresque tuos et facta canentem
Fors et magniloquo non posthabuisset Homero,
Tenderet et torno pietas aequare Maroni.

De voce 'tornus', quae de versibus perpoliendis usurpatur, cf. Prop. 2, 34, 43: 'Incipe iam angusto versus includere torno.' Auct. paneg. ad Pis. 83: Advolat excusso velox sententia torno.

V 3, 209 seqq : Me quoque vocales lucos inotaque Tempe
Pulsantem, cum stirpe tua descendere dixi,
Admisere deae.

Hic locus interpretibus tam depravatus est visus, ut de medela omnino desperarint. Nemo adhuc sustulit corruptelam. Nam quod Domitius et Baehrensius re parum diligenter perpensa alter 'lustrataque' alter 'Boeotaque' proposuerunt, qui artem criticam exercuerit, improbabit. At videbis, si dis placet, lenissima medela corruptelam posse sanari. Quod ne confidentius dixisse videar quam verius, contenderim Statium scripsisse:

Me quoque vocales lucos Inoaque Tempe
Pulsantem . . . . admisere deae.

Quae cum coniectura aperta sit correctio, ab exemplis me contineo.

V 4, 7 sqq: Septima iam rediens Phoebe mihi respicit aegras
Stare genas; totidem Oeteae Paphiaeque renident
Lampades et totiens nostros Tithonia questus
Praeterit et gelido spargit miserata flagello.

Versu decimo miras corruptelas 'spargit miserata' levissimo remedio removere posse mihi videor. Carmen pertinet ad Somnum. Poeta cum somnum nullo modo capere possit, lacrimas fere effundens queritur, quo crimine commiserit, ut unus quiete privatus dormire non possit, cum et homines et animalia et quaecunque sub adspectum veniant animantium formae earumque rerum quae gignantur e terra, quieti se dare queant. Versus decimus est sensu cassus. Corruptelam 'spargit' Schraderus emendatione 'parcit' tollendam esse sibi persuasit. At haec coniectura a sententia carminis plane discrepat. Sensus desideratur hic: Septima iam Phoebe rediens me respicit indormem, totidem Oeteae Paphiaeque lampades renident totiensque Aurora me praeterit somno egentem. Cum hic sensus omnino efflagitetur, sine dubio legendum est: 'Pergit gelido flagello.' Queritur igitur poeta se per totam noctem usque ad primam lucem somno carere, cruciari se et a Phoebe et Aurora. Hinc apparet, cur poeta proximo versu lamentetur:

Unde ego sufficiam? etqs.

Etiam vocem 'miserata' sententiae aperte repugnare apparet, neque enim Aurora poetam miseratur. Fortasse latet in mendo vox 'reserata'.

Sequitur carmen extremum, cuius versus fere omnes aliis alius inquinati sunt erroribus. Continet epicedium in puerum vernam, quem unum omnium maxime Statius dilexisse videtur. Nimio dolore paene exanimatus increpat Musas ipsamque Naturam adiciens:

'Tanta mihi feritas, tanta est insania luctus.

Versus 35 seqq. sunt fere desperati. Leguntur vulgo sic:

Sic merui, sic me cantuque habituque nefastum
Aspiciant superi! pudeat Thebasque novumque
Aeaciden; nil iam placidum manabit ab ore
Ille ego qui quotiens! blando matrumque patrumque
Vulnera, qui viduos potui mulcere dolores . . . .
Deficio medicasque manus fomentaque quaero
Vulneribus, sed summa meis.

Lectio 'merui' quoniam a sensu omnino aliena est, nullo pacto ferri potest. Ad nervos totius loci proxime accedit vox 'fremui', quae et palaeographice probabilitatis speciem prae se fert non parvam et notioni nimii doloris optime respondet.

Quae v. 38 repperitur corruptela 'blando', eam nemo adhuc perspexit, quomodo certissime emendari possit. Nescio quo pacto interpretes fugit in ista corruptela nihil aliud nisi 'plango' latere. Cuius verbi quoniam sexcenta exempla tibi e Statii Silvis porrigi possunt, aliis argumentis non immorabor, praesertim cum sententiae condicio hoc verbum unum efflagitet. De corruptela v. 43 'sed summa meis' Marklandus praepropere desperasse nobis videtur.

Adnotatio eius haec est: 'Corruptas esse voces scio, sed non possum in praesens mederi.' At levissima coniectura medela potest afferri loco desperato. Quid? si poeta nullam sententiam pronunciare potuit nisi hanc sibi uni pro doloris magnitudine fomenta vulneribus quaerenti exstare nulla? Collatis codd. literis nonne affirmare possumus certissime Statium hoc loco non potuisse non scribere: Deficio — fomentaque quaero Vulneribus! sed suntne meis? scilicet non sunt.

Plane eadem via ac ratione formam interrogativam ab interpretibus nondum perspectam restituendam existimo in Silv. II 6, 93. Legitur ibi sic:

Nec quod tibi Setia canos
Restinxit cineres, gremio nec lubricus ossa
Quod vallavit onyx, miseris acceptius umbris
Quam gemitus. sed et ipse iuvat.

Non effugit interpretes verba 'sed et ipse iuvat' nullo modo stare posse. Baehrensius omnes difficultates sustulisse sibi visus est coniciens 'sed et ipse sat est'. Sensus oritur egregius adhibita forma interrogativa 'sed et ipse iuvat?'

Scilicet non iuvat. Quam coniecturam, quae sequuntur verba 'quin terga dolori, Urse, damus? Quid damna foves .... et vulnus amas?' certissimam reddunt, confirmant enim id ipsum, nihil iuvare dolorem. V. 65 seqq:

Non ego mercatus Pharia de pube loquaces
Delicias doctumque sui convicia Nili
Infantem lingua simium salibusque protervum,
Dilexi.

Quae versu 68 repperitur corruptela 'simium', quae cod. Sang. disertis verbis tribuitur, eam tanta caligine obfusam crediderunt, ut Baehrensius coniecturam inauditae audaciae 'vafrum' in textum ipsum recipere ausus sit.

Quid? quod Marklandus corruptelae originem adeo non perspexit, ut in coniectura 'nimium' acquiescendum putaret? Ex ipsis sententiae nervis petenda medela. Id temporis Romani summos sumptus in pueros Alexandrinos, qui prae ceteris salibus nequitiisque erant noti, acquirendos impendebant, cf. Friedlaenderi h. m. R. III 90.

Inter quos imprimis excellebant pueri uncis naribus insignes „Stumpfnäschen", quippe quibus non sales edocti et compositi (Silv. II 1, 70) sed naturalis quaedam hilaritas salesque innati tribuerentur, cf. nostrum „schnippisches Stumpfnäschen". Cupiditatem talium puerorum adipiscendorum percrebruisse Martialis poeta disertis verbis testatur, cf. epgr. 4, 42, ubi qui sibi videretur praestantissimus puer Aegyptium dicit addens: 'Frons brevis atque modus leviter sit naribus uncis.' Quae cum ita sint, non dubito, quin Statius scripserit 'simum'. *Σιμός* vocabulum Graecum omnino abierat in consuetudinem Latinam. Saepe haec vox usurpatur de ioculatoribus, cf. Graecum *σιμὰ γελᾶν, σιμὰ σεσηρῶς μυχθίζεις* Anthol. 5, 179.

Verbum ipsum *σιμοῦν* nihil valet aliud nisi 'naso adunco suspendere'. Apud Hesychium legitur *σιμοῦσι, μέμφονται.* Gloriatur igitur hoc loco Statius puerum sibi fuisse naturalibus salibus insignem, non eum qui edoctus esset sales compositos ab Aegyptio quodam inustos. Quam eandem proprietatem laudat Statius de puero delicato Atedii Melioris, cf. Silv. II 1, 72 seqq.

Ceterum collato Martialis exemplo, prolata emendatione corruptelam sublatam esse spero. Legendum igitur sic:

Non ego mercatus Pharia de pube loquaces
Delicias doctumque sui convicia Nili
Infantem lingua, simum salibusque protervum
Dilexi.

END OF TITLE